





CENTURIA THESIUM JURIDICARUM

DE

TUTELA ET

CURA.

*Quam*

Divina juvante gratia

SUB PRÆSIDIO,

*Clarissimi & Consultissimi VIRI*

Dn. VALENTINI GUI-  
LIELMI FORSTERI, U. J. D.

& in alma hac Leucorea Profes-  
soris ordinarij.

*Veritatis indaganda gratia publice discutiendam  
proponit.*

ELIAS RISÆUS Stolpensis  
Pomeranus.

*Habebitur disputatio ad diem 31. Martij in auditorio ICrorum  
horis à 6. matutinis.*

VVITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. DC. XI.

TUTTLE

CUBA

Dr. ...

...

...

DR. ...

MEIN FORSTER, U.D.

...

...

...

...

ELIAS RISSAUS Stopenitz

Pommern

...

...

VITTEBERG



## Thesis I.



Mnes homines aut sui aut alieni juris esse; hñ quod dominico vel patrio, illi quod neutro teneantur nexu, author est *Iustinianus in pr. Inst. de his qui sunt sui vel alieni juris* & *Ictus Gaius in l. 1. ff. eod.*

### II.

Quidam vero illorum qui sui juris sunt, quoniam, naturali dictante ratione, ob lubricam & multorum insidijs expositam ætatem iudicijve infirmitatem aliorum indigeant consilio *Simpuberes Inst. de Attiliano Tutore l. 1. ff. de Minoribus*, adeoque sub tutela sunt vel cura *pr. Inst. de Tutelis*: Iccirco, intacta patriæ & dominicæ potestatis materia, hac vice jus Tutelæ & Curæ, quod eximio *Zasij* iudicio, aurea literarum scriptione ac publica pro rostris affixione dignum, certis ex Justiniani fontibus petitis positionibus concludere & placidæ collationi proponere lubet.

### III.

Tutelam primum, utpote jure naturali Curatione priorem *d. §. impuberes Inst. de Attiliano Tutore*, dictante *Servio in l. 1. ff. de Tutelis* & *§. 1. Inst. eod.* definiētes, quod sit vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, Jure Civili data ac permissa.

### IV.

Licet singula penè definitionis verba dubium recipiant, & à *Dd.* miris controvertantur modis; nos tamen & genus definitionis retinere, verba illa, *in capite libero*, ad Tutorem potius referre, mulieres ob jus correctum à Tutela perpetua libera-

re, formamq; Juri Civili, secundum mentem & literam definitionis, ascribere non dubitamus.

V.

Triplex verò ex præfata definitionis appendicula Tutela resultat, Testamentaria scilicet, Legitima & Dativa: datur enim Legitima à lege ipsa, Testamentaria verò & Dativa Testatori & Magistratui danda permittitur, attestante *Vlpiano in l. 6. §. 2. ff. de Tutelis.*

IV.

Quas Tutelæ species ut pro instituto nostro justo consideremus ordine, iccirco secuti Ductoris *Iustiniani* in Institutionibus stylum ac filum, singulas seorsim, accidentia vero cum Curatione communia postmodum conjunctim exequemur.

VII.

Testamentariam itaq; Tutelam, utpote deferendi ordine priorem adeoq; in frontispicio collocandam *l. 11. ff. de testament. tutell.* suggerente *Iustiniano in §. permissum Inst. de Tutelis* describimus, qua pater liberis, quos habet in potestate impuberibus sui juris futuris, testamento Tutorem constituit.

VIII.

Non vero Mater & avia, quippe quæ liberos in potestate non habent *§. femina 10. Inst. de adoption.* Si tamen liberis hereditibus institutis testamento Tutores dederint, an à prætore vel præside sine inquisitione confirmari debeant? dubitari consuevit. Nos ob præcepta & inconstans illarum judicium *l. 2. §. 2. ff. ad Scm. Vellejanum l. 4. C. de sponsalibus* & textum expressum *in l. 2. §. 4. de confirmat. tutor.* negativam in puncto juris veriore arbitramur.

IX.

Quid si Mater vel avia liberis præteritis testamento Tutorem dederint? Et tum ejusmodi Tutorem, prævia scrupulosiori & diligentiori inquisitione, judicis decreto confirmandum esse, claro juris textu *leg. 4. Cod. de testament. tutela,* movemur.

10. Quod

X.

Quod etiam in Tutore à Patrono liberto sine heredis institutione dato, ob generalitatem *l. 28. §. ult. ff. de testament. tutela*, juris veritati congruum arbitramur.

XI.

Manet itaq; solum parentem (non vero extraneum nisi cum heredis institutione & iudicis confirmatione. *l. 1. & 4. ff. de confirmando tutore*) ob jus patriæ potestatis, tam nascituris, quam natis, recte tutorem constituere posse, dummodo hoc ex verbis & dispositione Testatoris eluceat, suffragante *Iustin. in §. permissum & seq. Inst. de Tutelis*.

XII.

Adeo, ut Tutor liberis datus nedum posthumorum, verum etiam Neporum tutelam suscipere cogatur, textus expressus in *§. si quis 5. Inst. de testament. tutela l. liberorum 20. ff. d. V. S.*

XIII.

An vero pater possit filio exheredato in Testamento Tutorem, & quidem absq; confirmatione, constituere? *Hottomanus* & alij ambigam & controversam fecerunt quæstionem, Nos intuitu patriæ potestatis, quæ per exheredationem non expirat *l. filium 20. ff. de bonorum possessionibus contra tabulas*, *Hottomanni* sententiam averſamur.

XIV.

Secus autem in filio emancipato, in quo ob defectum patriæ potestatis, summam & singularem tamen erga liberos affectionem *l. 3. §. 1. ff. de administrat. tutor. & l. 22. §. 4. ff. de adulteriis*, omnimodam & absolutam requirimus Magistratus confirmationem *§. sed etsi 5. Inst. de Tutelis*.

XV.

Utrum vero Tutor in hoc & alijs *l. 1. ff. de confirmando tutore* contentis casibus iudicis confirmatus, sit Testamentarij vel honorarij habendus loco? nodosa semper fuit vtilis quæstio. Nos, suaſu *l. 1. & 3. ff. de confirmando Tutore. & l. 32. ff. de excusat. Tutor.* cum Testamentariorum ordini & conditioni proximiorum concludimus.

A 3

16. Testa-

XVI.

Testamento demum, vel Codicillis Testamento confir-  
matis, Tutores dari oportet *l. 3. ff. de testam. tutel.* non solum pa-  
tresfamilias, verum etiam, utpote in munere & causa publica,  
filiosfamilias *pr. Inst. qui testamento tutor. dari possunt l. 9. ff. de his qui  
sunt sui vel alieni juris.*

XVII.

An vero & quatenus pater teneatur ex administratione  
filij? dubitationis plena est quæstio. Nos *Cujacij* distinctionem  
inter scientiam & consensum parentis expressum & tacitum, ut  
priori casu in solidum, posteriori vero peculiore tenus duntaxat  
teneatur approbamus, textus manifesti in *l. 7. ff. de tutel. & l. 21. ff.  
de administ. Tutor.*

XVIII.

Porro & servum tam alienum quam proprium in testa-  
mento rectè tutorem dari posse, probatur *§. 1. Inst. qui testamento  
tutores dari possunt.* Hic vero simpliciter Tutor datus an directam  
consequatur libertatem an fideicommissariam? *l. 9. C. de fidei-  
commiss. libertate* imprimis acerrimo *Dd.* conflictui ansam præ-  
buit, Nos ad *d. l. 9.* responsuri, autoritate *Iustiniani in d. §. 1. &  
Icti Pauli in l. 32. ff. de testament. tutel.* ipsi directam competere li-  
bertatem asserimus.

XIX.

Furiosos autem & Minorenes testamento tutores con-  
stitutos tunc admittendos censemus; quando cessante impedi-  
mento furoris & ætatis, compotes mentis & maiores 25. annis  
evaserint *§. 2. Inst. qui testamento tutores dari poss.*

XX.

Quibus tamen nomen Tutoris durante tali impedimento  
non denegamus, sed cum *Donello* interea Curatores, quod Tu-  
torem habentibus tutor dari nequeat *§. 5. Inst. de Curator. dandos  
esse* statuimus.

XXI.

Quin demum Tutores purè, sub conditione, ad certum  
tempus & ex certo tempore, non vero certæ alicui rei vel causæ,  
recte dari queant. *§. 3. & 4. Inst. qui testamento tut. dari poss.* abunde  
testantur. 22. Defi-



XXII.

Deficiente Tutela testamentaria, Legitima, ob spem & emolumentum successionis, sibi vindicat locum *l. 1. ff. de legitima tutela. quæ beneficio l. 12. tabul.* olim solis agnatis gradu proximis, hodie auctoritate Justiniani in *Nov. 118. c. 5.* omnibus cognatis eodem modo & ordine quo ad hæreditatem vocantur, defertur.

XXIII.

Etsi vero ex *d. Nov.* pariter ac *l. 1. C. quando mulier tutela officio fungi potest.* eluceat, ordinario jure tutelam, utpote munus virile & publicum, fœminis non esse committendam; Matrem tamen & aviam cuius tutori legitimo, dummodo secundis nuptiis, S<sup>C</sup>ri Velleiani alijsq; legum auxilijs & beneficijs renunciant, præferendas esse, speciali *d. Nov. 118. c. 5.* dispositione & concessione provisum est.

XXIV.

Quam tamen specialem legis dispositionem ad allodialia saltem bona, in quibus Mater vel avia succedere possunt, restringendam monet *eadem Novella, ibi, his enim solis secundum hereditatis ordinem, &c.*

XXV.

An autem Mater propter debitum ex mala administratione Tutelæ contractum in carcerem detrudi queat, si bona ejus ad dissolutionem istius debiti non sufficiant? ob renunciationem omnium beneficiorum factam Dd. in controversiam vocarunt. Nos ob pietatem & reverentiam parentibus naturaliter debitam *l. 1. C. 2. ff. de obsequiis parentibus præstandis, & privilegium, ne ultra vires teneantur, §. 38. Inst. de actionib.* negativam probabiliorem & æquiores amplectimur.

XXVI.

Ad Tutelam hanc legitimam similiter pertinet, quod ex *aurea Bulla Caroli IV.* proximus Agnatus tutor Electoralis heredis constituitur,

XXVII.

Unde non transilienda est illustris illa quæstio. An per testamentum legitima illa tutela Agnato auferri possit? Nos  
ob ver-

ob verba textus perspicua, tum jus agnato quæsitum, & inviro non auferendum *l. ii. ff. de R. I. legisq; provisionem necessariam, negativam propugnantibus astipulamur,*

XXVIII.

Quam tamen aureæ Bullæ constitutionem, ad provinciam hæreditariam, quo minus Princeps Elector, istius respectu, filio suo impuberi, tutores dare valeat, minime extendendam iudicamus *arg. l. precipimus §. 6. C. de appellat. & l. Sancimus C. de testam.*

XXIX.

Haud inconvenienter & hanc aspergendam existimamus quæstionem, si mortuo testatore tutor testamento datus decedat, legitimæne an vero honorariæ tutelæ locus esse debeat? Nos, intuitu ordinis deferendarum tutelarum, prius cum *Donello* eligimus.

XXX.

Cessantibus prioribus Tutelæ speciebus, tandem Dativa seu Honoraria locum meretur, quam Magistrarui, per expressam legis concessionem, secundum officij modum competere, tradit *Vlpian. in l. 6. §. 2. ff. de tutelis.*

XXXI.

Hinc *vi d. l. 6. §. 2. contra Muscornium & alios*, tutelæ dationem, neque simplicis Jurisdictionis neq; imperij, sed certis Magistratibus & personis, legis beneficio permissam esse, concludimus.

XXXII.

Quamvis hodie ex generali Germaniæ consuetudine & vigore *ordinationis Politicæ Caroli V. de Anno 1548. tit. Von den Pupillen vnd minderjârtigen Kindern Tutorn vnd Vormunder. §. So wollen wir / &c.* quilibet Magistratus municipalis, secundum jurisdictionem suam, Tutores recte constituat.

XXXIII.

Hujusmodi vero Magistratus, an non subditum, ad Tutelæ onus sub eundum compellere valeat? per *l. ult. ff. de iurisdic. in. quæstionem* vocari assolet, Nos in casum deficientium idoneorum tutorum, id competentibus & legitimis, partim *in l. 10. ff. de Tutelis & l. 24. ff. de tutoribus datis ab his, &c.* expressis remedijs, fieri posse arbitramur,

34. Sic

XXXIV.

Sic nec Judæos, non obstante metu corruptionis pupilli, tutelæ oneribus, ne ipsorum melior quam Christianorum sit conditio, relevandos arguit *lctus in l. 15. §. 6. ff. de excusat. tutor.*

XXXV.

Mutum econtra, cœcum & surdum, quod ob defectum linguæ, visus & auditus auctoritatem præstare, & qua fide & mente quodq; geratur, intelligere nequeant, à tutelæ officio arcendos præcipit *l. pen. in fin. ff. de legitimi. tut. & l. luminibus 3. C. qui dare tutores poss.*

XXXVI.

Sic & Milites armatæ militiæ muneribus occupatos, tutela avocari prohibet *l. 4. C. qui dare tutores poss.*

XXXVII.

Quibus etiam pupilli debitorem & creditorem *Novell. 72. c. 1. 2. 3. 4.* nisi fuerit mater vel avia, *Nov. 94.* se ipsos ingerere volentes *l. 21. §. ult. ff. de tutoribus datis ab his, & c. Clericos l. 52. C. de episcop. & cleric. & turpes demum personas l. 17. §. 1. ff. de testam. tut. annumerandos concludimus.*

XXXIX.

Constituit porro Magister ut tutores, vel ex officio *arg. l. 6. C. qui tutores dari possunt,* vel ad petitionem & instantiam aliorum.

XXXIX.

Petunt autem alij sponte, alij uti Mater & proximi cognati necessariò, ne successionis perdant emolumentum, anni currentis spatio *l. 1. & 2. ff. qui petunt. tutores.*

XLI.

Sed quid, si proximus cognatus non petat, an ille annus incipiat sequenti in gradu à tempore cessationis cessantis proximi cognati, an vero demum elapso anno proximiori concessio? Nos posterius rationi *& l. 2. §. ult. ff. ad Sctm. Terryll. amicum amplectimur.*

XLI.

Præfatis modis constituta tutela, tutor eam, legitime sibi à Magistratu commissam, suscipere tenetur.

XLII.

Qua rite suscepta, officium Tutoris potissimum in perso-  
na pu-

nae pupilli defensione §. 1. & 2. *Inst. de Tutel. & l. 30. de admin. Tutor.*  
Rerum ejusdem administratione. l. 12. §. cum tutor. & t. r. ff. de ad-  
ministr. & pericul. tutor. Et autoritatis praestatione, vertitur l. 1. &  
t. r. ff. & *Inst. de autor. tutor.*

XLIII.

Circa personam pupilli, Tutor imprimis prospicere & cu-  
rare debet, ut pupillus recte, & sine maligna suspicione educa-  
tur, in moribus & liberalibus artibus instituatur, atq; pro quan-  
titate patrimonij, & dignitate natalium, salaria praceptoribus  
distribuantur l. 1. ff. ubi pupilli educari debeant & l. 12. §. 3. ff. de admi-  
nistrat. tutor.

XLIV.

Quam educationem, regulariter matri viduae, illa vero ad  
secundas nuptias, vel ex hac vita migrante, judicis arbitrio & de-  
creto, ubinam pupillus, cognita causa, educari debeat, commit-  
tit & relinquit l. 1. C. ubi pupilli educari debeant.

XLV.

An autem, uti Vitrico Tutela l. ult. C. de contrario judicio tute-  
lae nonnunquam ff. de adopt. sic etiam educatio pupillorum com-  
mitti queat ob sinistram de Vitrico conceptam opinionem, à  
Dd. disputatum recordamur, Nos, modo praecedat causae co-  
gnitio, ex l. 15. C. de negotiis gestis affirmativam colligimus.

XLVI.

Eodem modo, Tutorem praecipui sui officij admonet l. 30.  
ff. de admist. tutor. & l. Sancimus 28. C. eodem. ne pupillum suum,  
tam in, quam extra judicium, indefensum relinquat, quippe qui  
principaliter personae defendendae, in consequentiam saltem re-  
bus administrandis constituitur.

XLVII.

Rerum administratio & curatio, quonam sit dirigenda, in-  
culcat l. Lucius 46. §. ult. ff. de administrat. Tutor. l. Sancimus l. lex qua  
tutoris C. eod. ut nempe bona pupillaria conserventur, augean-  
tur, juste expendantur, & ea, qua in proprijs rebus & negotijs  
fide & industria, omnia administrantur.

XLVIII.

Quapropter eas demum res, quae servari nequeunt, reli-  
quas

quas tum demum, si Magistratus, causa cognita, alienationem  
approbaverit, Tutores alienare possunt. *l. lex qua tutoris 22. C.  
de administrat. Tutor. & t. t. C. quando decreto judicis opus est.*

XLIX.

Promanat exinde & illud, quia Tutores non proprio, sed  
pupillorum debeant inhiare commodo, res ab illis pecunia pu-  
pillorum emptas, invito quidem jure ordinario *l. 6. C. de rei vin-  
dicat.* in odium tamen tutorum & rei gestæ, rectissime extor-  
queri posse, id specialiter indulgente *l. 2. ff. quando ex facto Tute-  
ris, & c. & l. 7. ff. qui potiores in pignore.*

L.

Deniq; ad officium Tutorum pertinet, ut pupillo, non ve-  
ro sibi ipsis, in contractibus, cæterisque negotijs, auctoritatem  
præbeant, & illud, quod à pupillo agitur, approbent *l. 1. & t. t. ff.  
& Inst. de auctor. tutor,*

LI.

Hæc autem pupilli negotia, vel damni periculum habent,  
vel non habent; In prioribus Tutoris auctoritatem, ad civilem  
obligationem producendam, necessariam putamus, *pr. Inst. de au-  
thoritate tutor.* nisi forsan pupillus dolose in re aliena versatus,  
aut ex contractu locupletior & ditior factus sit. *l. 13. §. fin. ff. de  
dolo malo l. 3. §. 4. ff. de negot. gestis l. 206. ff. d. R. 1.*

LII.

In posterioribus vero, ob salutem & utilitatem pupillo-  
rum, Tutorum auctoritas inutilis, quippe qui sine eorum au-  
thoritate, rem suam meliorem facere possunt §. 1. *Inst. de auctor.  
tutor.*

LIII.

Modus autem interponendæ auctoritatis Tutorum,  
in hisce potissimum positus est, Ut in re præsentis, & ipso ne-  
gotio gerendo seu perficiendo, non per Epistolam vel nunci-  
um, sed ipsam tutoris præsentiam, pure, verbis disertis & ex-  
pressis, auctoritas interponatur, §. 2. *Inst. de auctor. tutor. l. 3. & l.  
8. ff. eodem.*

## LIV.

Causæ corruptentes Tutelaſve extinguentes, pro ſua varietate vel ex diſpoſitione Teſtatoris emergunt, puta diei, ad quem tutela eſt conſtituta, eventu *l. ſi arrogati* 14. §. *ſed etſi ff. de Tutelis* §. 5. *Inst. quibus modis tutela finitur*, & appoſitæ conditionis exiſtentia §. 2. *Inst. eod.*

## LV.

Vel ex perſona pupilli prodeunt tripliciter, pubertate *pr. Inst. quibus modis finitur tutela*, morte naturali §. 3. *Inst. eod.* & capitis diminutionibus §. 4. *Inst. d. tit.*

## LVI.

Vel ex Tutoris perſona descendunt, capitis ſcilicet diminutione maxima & media, legitima excepta, quæ etiam capitis diminutione minima exſpirat §. 4. *Inst. quibus modis tutela finitur*, Morte naturali §. 3. *Inst. eod.* Excusatione demum & ſuſpecti crimine, de quibus infra.

## LVII.

Transfuga autem an maneat Tutor? discrepantia textuum dubitationem & diſputationem peperit. Nobis, ob rationem, quod mediam patiatur capitis diminutionem *l. amiſſione* §. 1. *ff. de capit. minutis* *l. poſtliminium* §. *transfuga ff. de captiv. & poſtlimin. revers.* negativa arridet.

## LVIII.

Diximus ſupra ex *Iuſtiniano pr. Inst. de Tutelis*, quaſdam perſonas, quæ ſui juris ſunt, eſſe in tutela, quaſdam in curatione. Priori autem Tutelarum membro in præcedentibus diſcuſſo, conſequentaneum eſt, ut, *Iuſtiniani* veſtigiis inſiſtentes, & alterum curationis ſcilicet membrum, & deniq; utriuſque Tutelæ & curæ communia adjuncta perſtringamus.

## LIX.

Quo fine curam deſignimus, quod ſit vis ac poteſtas in capite libero, ad curandas res eius, qui quoquo modo ſuis rebus ſuperelle nequit.

## LX.

Hodie legitima plane ſublata, tantum unica curæ ſpecies, Dativa ſcilicet, eſt reliqua §. 3. *Inst. de Curatoribus*, quæ Magiſtratus

tus

tus ejusdem, à quo & Tutores constituuntur, autoritate §. 1. Inst. de Curato. Minoribus 25. annis, ob ætatis judicijq; infirmitatem, volentibus §. 2. Inst. d. t. l. 1. ff. de minor. Furiosis, mente captis, prodigis, ob alienationem & vitium mentis & morum §. 3. Inst. de Curat. Mutis, surdis & perpetuo morbo laborantibus, ob corporis infirmitatem §. 4. Inst. eod. præficitur.

LXI.

Hinc Cura varijs modis à Tutela distinguitur, quod hæc impuberibus §. 3. Inst. de Tutelis, illa puberibus, rerum potissimum administrandarum causa pr. Inst. de Curator. hæc invitis, illa volentibus tantum §. 2. Inst. de Curat. hæc etiam à testatore tot. tit. Inst. qui testam. tutor. dari poss. illa à Magistratu unice §. 3. Inst. de Curat. imo præter ætatem, etiam alijs modo enarratis & §. 2. 3. & 4. Inst. de Curator. expressis casibus, constituatur.

LXII.

Cum ergo Minor Curatorem invitus, præter litis §. 2. Inst. de Curat. l. 2. C. qui legitim. habent personam standi in judicio, Solutionis l. 7. §. sed et si ff. de Minor. & à Tutore suscipiendarum rationum casum. l. 7. C. qui petunt Tutores. accipere non cogatur, emergit exinde anxie à Dd. vexata quæstio, an ei perfecta bonorum administratio, ad tuam efficaciter obstringendam personam, commissa credatur? Nos, nisi fortè extra ordinem veniam ætatis à Principe impetret l. 1. & l. 1. C. de his qui veniam ætatis impetrarunt, negandum existimamus.

LXIII.

Siquidem Minor, qui nec veniam ætatis impetrat, & Curatore quoq; destituitur, contrahendi quidem & alienandi habet potestatem, istius tamen negotij, ex quo læsio & præjudicium enascitur, ipsi Prætor in integrum restitutionis auxilium pollicetur. l. 1. l. 7. §. 1. & t. 1. ff. de Minoribus.

LXIV.

Hoc loco nec illa non minus elegans, quam controversa est prætereunda quæstio, Utrum Regiss Electoris, Principis vel Ducis filio jam puberi invito Curator obtrudi queat? Nos de Jure Justiniano, ob l. 8. ff. de muner. & honor. 25. annis minores à Republicæ administratione excludentem, & immaturitatem judicij,



dicij, mentis ac consilij, affirmativam communio- rem & probabiliorem arbitramur.

LXV.

Quamvis ex aurea Bullæ Caroli IV. sanctione, imo exemplo & constit. poliitiæ Caroli V. tit. 31. §. 1. & 2. non ignoretur, hodie Electores, decimo octavo ætatis anno completo, ad Rempublicam administrandam admitti, & omnibus adolescentibus, etiam invitis, Curatores dari & constitui.

LXVI.

Prodigus demum, quia perinde ac furiosus, ob morum insaniam, Curæ est obnoxius, iccirco haud inconvenienter, satis vexatam & in omnes prope partes acriter disputatam quæstionem, inferere lubet, num notoriè prodigo, ipso jure administratio bonorum auferatur, an vero Magistratus sive judicis decretum vel sententia requiratur? Nos, inruit *l. 1. ff. d. curat. furios. l. Iulianus 10. ff. eod. §. item prodigus iust. qui testam. facere poss. c. veritatis x. de dolo & contumacia*, & rationis, quod nemini, absq; causæ cognitione, rerum suarum administratio auferenda *l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris. judicis decretum necessarium putamus*,

LXVII.

Tutelæ & Curationis jure, hæctenus distincte & separatim degustato, jam, memores Justiniani ordinis, utriusq; juris adjuncta communia subjungenda veniunt.

LXVIII.

Horum autem quædam vel Tutelam & Curam constituendam præcedunt, vel sequuntur constitutam.

LXIX.

Antequam enim à Magistratu administratio Tutelæ & Curæ decernatur, cum primis requiritur Inventarij confessio. *l. 7. ff. de administrat. Tutor. qua, secundum præscriptam formam in l. ult. C. de jure deliberandi*, requisito tabellione publico cum testibus, omnia, tam mobilia quam immobilia pupilli bona, designari & conscribi debent.

LXX.

Quæ Inventarij confessio in tantum necessaria, ut à Tutore

tore



core absq; suspicionis fraudulosa, infamiaq; periculo omitti *l. 7. ff. de administrat. Tutor. §. 6. Inst. de suspect. tutor.* imò nec à Testatore ipso, contra pupillorum utilitatem, prohiberi aut remitti queat, cum magis salutem pupillorum, quam Testatoris voluntatem, Magistratus sequi debeat *l. 8. l. 10. ff. de confirm. Tutor.*

LXXI.

Nec minus juramenti præstatio, ad utilia pupilli facienda, inutilia prætermittenda, Tutelam vel Curam administrandam præcedere debet *Nov. 72. c. ult.* quamvis hodie, ex notoria Germaniæ consuetudine, Tutores vel Curatores non præstent juramentum novum, sed saltem ejus, quo ante sunt Magistratui obstricti, admoneantur.

LXXII.

Satisfactionem deniq; ad rite constituendam Tutelam vel Curam, statuimus necessariam, qua Tutores vel Curatores solenniter, fidejussoribus datis, promittunt, se pupillos præstituros in demnes *l. 1. 2. 3. & 4. §. 1. ff. rem pupilli vel adolescentis salvam fore.*

LXXIII.

A quo tamen satisfactionis onere Testamentarios, à Magistratu confirmatos, & ex inquisitione datos Tutores & Curatores, quod fides illorum & diligentia ab ipso Testatore vel iudice approbata est, *pr. Inst. de satisfat.* ( licet constitutionem *Caroli V. Anno 1548. Augustæ* promulgatam, Tutorum & Curatorum differentiam, satisfactionis respectu, nullam agnoscentem, nõ diffiteamur ) immunes pronunciat *Iustinianus d. pr. Inst. de satisfat.*

LXXIV.

Hæc autem satisfactio Tutorum & Curatorum, an pignoribus expediri queat? perplexa & satis à Dd. agitata est quæstio. Nos negativam, Justinianæ Jurisprudentiæ magis consentaneam, arbitramur.

LXXV.

Constitutam porro Tutelam & Curam, sequitur Excusatio, Tutorum & Curatorum cum primis respiciens favorem, qua Tutelæ & Curæ onus sane non exiguum, & alioquin necessario subeundum *l. 1. ff. de admin. Tutor.* justæ causæ allegatione declinare & deprecari possunt.

## LXXVI.

Hac autem excusatione seu immunitatis allegatione, gaudent omnes Tutores & Curatores §. 16. *Inst. de excusat. tutor. ne vel Tutelam curamve suscipere, vel susceptam, justas ob causas, retinere cogantur.*

## LXXVII.

A suscipienda Tutelæ Curæve administratione, immunitatem præstat, primum, liberorum multitudo, quando scilicet quis, Rempublicam civibus augens, Romæ tres, in Italia quatuor, in provincijs quinq; superstites, vel in militia pro Republica prostratos, habet liberos *pr. Inst. de excusat. Tutor. l. 2. §. 2. ff. eod.*

## LXXVIII.

Sic & Magistratus sive potestas, ne is qui satis oneratus magis oneretur §. 2. *Inst. de excusat. tutor.* Tria onera Tutelæ vel curæ §. 5. *d. tit. l. 2. 3. 4. 5. 6. ff. eod.* Paupertas, cum per se sit onus æthna gravius, arbitrio judicis æstimanda §. 6. *Inst. de excusat. tutor. l. 7. ff. eod.* & inimicitia capitalis §. 9. & 11. *Inst. eod.* à tutela suscipienda relevant.

## LXXIX.

Quibus accedit lis inter pupillum vel adultum, & Tutorem vel Curatorem, de omnibus bonis aut majori bonorum parte §. 4. *Inst. de tit. quæ novissimo jure non tam excusat, quam repellit Nov. 77. & artium liberalium, Grammaticæ scilicet, Rhetoricæ, Medicinæ & Philosophiæ professio §. 15. Inst. de excusat. Tutor. & l. 6. §. 1. & §§. seqq. ff. eod.*

## LXXX.

Corporis demum imbecillitas, Senij nimirum, seu ætatis 70. annorum §. 13. *Inst. d. tit. & l. 2. ff. eod.* & domicilium nimis distitum, extrave provinciam positum l. 2. & 11. *C. de excusat. tutor. & l. 19. 21. §. 2. ff. eod.* à suscipienda tutela immunitatem conciliant.

## LXXXI.

An vero prædictis excusationum causis, imperitia literarum debeat annumerari? perplexa & frequens apud juris interpretes moveretur quæstio. Nos, nisi concurrat imperitia negotiorum administrandorum, ob §. 8. *Inst. de excusat. Tutor. & l. 6. §. ult. ff. eod.* & rationem, quod prudentia & ars administrandorum

rum

rum negotiorum magis ex ipso rerum usu & foro, quam otioso studio & mutis Magistris comparetur, affirmativæ subscribimus.

LXXXII.

A suscepta vero Tutela & Cura, immunitatem & liberationem merentur, Fiscii administratores, quo indemnitati illius eo magis consulatur §. 1. *Inst. de excus. Tut. l. 41. ff. eod.* Ægri seu valetudinarij, quod rebus proprijs superesse nequeant §. 7. *Inst. eod.* & demum Reipublicæ causa absentes, absentia & post reversionem, à nova suscipienda tutela vel cura, totius anni tempore §. 2. *Inst. de excusat. Tutor.*

LXXXIII.

Verum, an id quod statutum de absentibus Reipublicæ causa, tantum de Romanæ non vero de cujusq; Civitatis & Municipij absentibus sit exaudiendum? hic apte moveri potest. Nos ob generalitatem d §. 2. in favorabilibus extensionem concessam *Everhardus in Top. loc. 79.* & identitatem rationis, alias sc. Civitates non minus opera civium, quam urbem Romanam indigere *l. 32. ff. ad L. Aquila* affirmativam propugnantibus astipulamur.

LXXXIV.

A Cura specialiter tam is, qui ejusdem impuberis tutelam administravit, etiamsi pater in Testamento eum destinaverit §. 18. *Inst. de excus. Tut.* quam Maritus in bonis uxoris receptitij §. 19. *Inst. eod.* excusationem & veniam merentur.

LXXXV.

Circa ipsam vero excusationis opponendæ formam, quæ spatio 50. dierum, à tempore scientiæ currentium, circumscribitur *l. scire 13. §. 1. ff. de excus. Tut.* dubia hæc movetur quæstio. An à Tutelæ creatione seu denunciatione appellare liceat? Nos negativam, munimine *l. 1. ff. quando appellandum sit §. 16. Inst. de excus. Tut.* firmatam, amplectimur.

LXXXVI.

Cæterum Tutela & Cura, suspitione, in ipsa administratione emergente ejusq; accusatione, qua Tutor vel Curator suspectus postulatur, pariter ac alijs præscriptis causis expirat.

LXXXVII.

Quæ suspecti postulatio, olim apud Magistratus, quibus  
C  
specia-

specialiter lege erat concessum l. 1. §. 3. ff. de susp. tut. hodie omnes  
judices, qui tutores dare possunt l. nihil tam naturale ff. de R. l. uti &  
adversus omnes Tutores & Curatores l. 1. §. 5. ff. de susp. tut. l. 4.  
C. & §. 2. Inst. eod. recte instituitur.

LXXXVIII.

Similiter ad hanc suspecti accusationem, quasi publicam,  
omnes, modo sint puberes, etiam mulieres, pietate vel necessitu-  
dine forte motæ l. 1. §. 6. ff. de suspect. tut. §. 3. §. 4. Inst. eod. admit-  
tuntur.

LXXXIX.

Imo pupillorum favore, etiam judicem ex officio, sine ac-  
cusatione, Tutorem vel Curatorem suspectum repellere posse,  
haud obscure liquet ex responso *Vlpian.* in l. 3. §. 4. ff. de suspect. Tut.

XC.

Causæ vero, propter quas Tutor & Curator, etiam si satis  
offerat, suspectus postulari & removeri queat, quia in primis sint  
Dolus & Culpa l. 3. §. 5. ff. de suspect. tutor. §. 5. 6. & ult. Inst. eod. id-  
coq; dubitatur à nostris, num culpa levissima ijs quoq; sit annu-  
meranda? Nos exinde, quod Tutor seu Curator tantam, non  
vero majorem, in negotijs pupilli debeat diligentiam, quantam  
in suis solet præstare rebus l. 33. ff. de administ. tutor. & invitus hoc  
teneatur suscipere munus l. 1. ff. de administ. tut. negativam colli-  
gimus.

XC I.

Civilis demum suspecti actionis effectus est, ut Tutor vel  
Curator suspectus declaretur, & ab administratione removea-  
tu l. 4 §. pen. ff. de susp. tutor. l. 3. §. 2. ff. de admin. tut. Criminalis ve-  
ro, ut non solum removeatur, sed & arbitrariè puniatur. l. 1. §.  
fin. cum l. seq. ff. de susp. tutor.

XCII.

At cum remotus ob dolum, infamiae incurrat notam, ob  
culpam vero non æquè §. 6. Inst. de susp. Tut. in quæstionem hic  
non immerito vocari consuevit. An lata Culpa sit dolo æquipa-  
randa, ita, ut Tutorem vel Curatorem ob eam remotum, perin-  
de ut ob dolum, comitetur infamia? Nos ob generalem culpæ  
exceptionem in d. §. 6. & rem plane odiosam, mortisve pænæ si-  
millimam arg. l. justæ ff. de manumissis vindicta l. 8. §. 2. ff. quod metus  
causa

*causa, suafu l. 42. ff. de pœnis, negativam benigniorem & mitiorem  
asserimus.*

**XCIII.**

Tandem & ultimo, actionum ex Tutelæ & Curæ admini-  
stratione descendendum annexione, hunc nostræ disputationis  
filum pertexere & absolvere superest.

**XCIV.**

Finita enim Tutela l. 15. §. fin. & l. 4. ff. de tut. & rat. distrahend.  
hodie ex constitutione Politicæ Caroli V. Augustæ Anno 1548. promulgata,  
Tutor quotannis pupillo directa tutelæ actione, rationem  
omnium gestorum & omissorum reddere tenetur. §. ult. Inst. de  
Util. Tutor. l. 1. §. 3. & passim de tut. & rat. distrah.

**XC V.**

Qua administratæ tutelæ ratione reddita, Tutor illa, quæ  
ex rebus pupillaribus supersunt, bona fide persolvere l. 82. & III.  
ff. de condit. & demonstrat. & dolum, culpam latam & levem, non  
vero levissimam l. 7. C. arbitr. tutelæ, præstare cogitur.

**XC VI.**

Hæc autem directa Tutelæ actio, quatenus & in quantum  
contra Tutorum heredes competat? disputari solet, Nos regu-  
lariter de dolo & lata, non verò levi culpa, paucis in l. 1. C. de he-  
red. tutor. exceptis casibus, eos conveniri posse, sensu d. l. 1. con-  
cludimus.

**XC VII.**

Datur similiter Tutori ejusve heredibus, contra pupillum  
contraria tutelæ actio, ad illa, quæ ei propter tutelam absunt, re-  
stituenda, modo Tutor ex officio sumptus fecerit, vel se pro pu-  
pillo obligaverit l. 1. & t. t. ff. de contraria & utili tut. act. & l. 33. §.  
3. ff. de administrat. tutor. l. 3. C. eod.

**XC VIII.**

Præter dictam vero tutelæ directam actionem, Tutor quo-  
que rationum distrahendarum actione tenetur, quæ pro eo,  
quod in tutela gerenda ex bonis pupilli est ablatum, in duplum  
etiam heredibus, non vero, quia pœnalis est, contra heredes  
competit, l. 1. §. 19. 21, 23, l. 2. ff. de tut. & rat. distrah.

C 2

99. Utraq;

Utraq; actio Tutelæ & distrahendarum rationum, competit Minori adversus Curatorem *Vvesenb. ff. de tut. & rat. distrah. l. 7.* quanquam & negotiorum gestorum actione, utili quidem Dominus, contraria vero Curator, recte pulsari *l. 7. C. arbit. tut. l. Curatoris 17. C. de negot. gestis.* Imo conditione furtiva & furci, ijs de rebus, quas administratores dolo malo in officio intervertisse probantur, *l. 1. §. 22. de tut. & rat. distrah. l. 33. ff. de furtis,* legitime conveniri queant.

## C.

Competit & adhuc pupillis, excussis & non solvendo factis Tutoribus, contra fidejussores & ipsorum heredes, eodem modo quo adversus Tutores, actio ex stipulatu *l. 3. & 5. ff. de fidejussoribus Tutorum & Curatorum. l. 10. ff. rem pupilli salvam fore.* Et tandem actio subsidiaria, qua Magistratus, qui satisfactionem à Tutoribus vel Curatoribus exigere solent, si aut omnino à Tutoribus vel Curatoribus satisfdari non curaverunt, aut non idonee caveri passi sunt, tenentur. *§. 2. Inst. de satisfdat. tutor. l. 1. cum seqq. C. de Magistratibus conveniendis.*



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011




SB


VD17

Retrokonv.,










B.I.G.

Farbkarte #13



RIDICARUM

ET

1611 3

tia

o,

ni VIRI

NI GUI-

RI, U. J. D.

ea Profef-

i.

e discutiendam

tolpensis

uditorio ICrorum

Æ,

ANNI.

XI.